

Johann Bacmeister

Programma, Quo Rector Universitatis Rostochiensis Joannes Bacmeisterus, Med. D. & Professor. Ad Exequias Funebres Quas Puerulo Mellitissimo, Filiolo Suavißimo, Bartholdo a Gehren/ Parentes Moestissimi hodierna prima paralas cupiunt, cohonestandas Cives Reip. Literariae peramanter & officiose invitat. Conventus fiet in templo Mariano

Rostochii: Kilius, [1655]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777446243>


Druck Freier  Zugang




Bacmeister, J.,
in B. a Gehren.

Rostock. 1655.

36





PROGRAMMA,

quo

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

IOANNES BACMEISTERVS,

Med. D. & Professor.

Ad Exequias Funebres

Quas

Puerulo Mellitissimo, Filiolo Svarvissimo,


BARTHOLDO a Gehren/

Parentes Mœstissimi hodiernâ primâ

paralas cupiunt, cohonestandas

Cives Reip. Literariae peramanter & officiose invitat.

Conventus fiet in templo Mariano.



ROSTOCHII,

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ

PROGRAMMA

LECTOR

Universitatis Rostochensis

IOANNES BACHMISTERS

Med. & Professor

1777

Publici Juris

BARTHOLOMÆUS & GEBRÜDER

Printers & Booksellers

in Rostock

Printed at the University Press

1777



ROSTOCK

Typographus NICOLAI KILII Acad. Typ.



Magnam Somni & Mortis cognationem esse, Poetae tam Graeci quam Latini abunde satis testantur. Hesiodus utriusque parentem Noctem tradit, omnesque fere reliquij poetae & somnum & noctem pro morte usurparunt, maxime epitheto aliquo adjuncto, quod sensum juvet: sic Horat. l. 1. od. 24. Ergo Quintilium perpetuus sopor urget Et. l. 3. od. 11. Surge, ne somnus tibi longus, unde non times, detur. Virgilius quoque lib. 12. Aeneid. Olli, inquit dura quies, oculos & ferreus urget somnus: In aeternam clauduntur lumina noctem, Quae forte ad Homeri imitationem dicitur sunt, qui Iliad. λ canit. ὣς, ὁ μὲν αὐθιπιδίων κοιμήσασθαι χάλκεον ὕπνον. h. e. sicis quidem illic lapsus dormivit aereum somnum; Hinc Diogenes Cynicus jam ferme agonizans gravissimo somno experrectus cum esset, ac Medicus quidam ipsum interrogaret, quidnam ageret: Recte inquit habeo: Nam frater fratrem amplectitur, Somnus nimirum Mortem, alludens ad Homer. qui θάνατον & ὕπνον germanos finxit: Quod etiam Gorgias Leontin. teste Aelian. var. histor. fecit, dum ὕπνον τε θανάτου ἀδελφὸν nominat; Et Plutarchus in Oratione consolatoria ad Apollonium, ὕπνος τὰ μικρὰ τῶν θανάτου μυστήρια h. e. somnus breve gerit mortis mysterium. Nec non Ovid. lib. 2. Amor. Eleg. IX.

Stulte quid est somnus, gelidae nisi mortis imago.

Quem Cicero imitatus lib. 1. Tuscul. quae, ad Brutum Somnum imaginem mortis appellat, quod & repetit lib. d. Senect. Virgilius vero somnum Mortis consanguineum esse putat, dum lib. VI. Aeneid. ait.

Tum consanguineus Lethi sopor, & mala mentis gaudia &c.

Omnes autem hos Poetas quasi illustrare viderur Princeps Medicorum Galenus quando lib. 3. de Pulsuum causis cap. 9. ὕπνος γὰρ inquit

inquit ὡς καὶ τῶν πιητῶν ἐστὶν ἀκκοῦσι λεγόντων, ἀδελφὸς ἐστὶ
Θανάτης &c. h. e. somnus enim, (quod vel ex Poëtis audias) mortis est
frater. Cum itaq; hi jam citati scriptores æthnici, somnum natu-
ralem modo fratrem, modo imaginem, modò consanguineum mortis
nominent, omnino & nos qui Christiani sumus illis, sub scribimus,
& cum Socrate, Mortem profundo somnò similem esse, pronuncia-
mus, quod Prudentius in aureo suo hymno eleganter expressit, quan-
do sic canit.

Quidnam sibi saxa cavata?

Quid pulchra volunt monumenta?

Res quod nisi creditur illis

Non mortua sed data somno.

Et Salvator noster in proximo Evangelio dicebat ad tibicines & turbam
tumultuantem *Ἀναχωρεῖτε. ἔ γάρ ἀπέθανε τὸ κρεάσιον ἀλλὰ καὶ θεοῦ ἐστι*
Et. Joh. XI *λάζαρος ὁ φίλος ἡμῶν κεκείμεναι ἀλλὰ παρέυομαι ἵνα*
ἔξωπρίσω αὐτὸν, Cum tamem & Puella & Lazarus reverà essent mortui;
Christus enim, discipulis suis expresse dicit. vers. 14. *Λάζαρος ἀπέθανε,*
& Marta vers. 39. ad Christum, cum juberet, ut tollerent lapidem.
Κύριε ἤδη ὄζει, quod non potuisset fieri, nisi fuisset mortuus. Est autè
Mors somnò similis vel. 1. *Ob communitatem* Quemadmodum enim som-
nus communis est tam piis quàm impiis; Ita etiam Mors æquo pede
pauperum pulsat tabernas Regiumq; turres 2. *Ob oppressionis celerita-*
tem: Sicut somnus subito etiam nobis non cogitantibus irrepit; Ita
etiam Mors antequam speramus & cogitamus nos obruit. 3. *Ob re-*
creationis suavitatem. Sicut corpora humana suavissime somnò recre-
antur, & alacriores ad hujus vitæ labores sustinendos redduntur Ita
etiam somnò Mortis recreati ad æternæ vitæ officia obeunda alacri-
ores excitabimur. 4. *Ob tranquillitatem*. Sicut dormientes non sunt solli-
citi, quid homines agant, sed secure dormiunt: Ita etiam mortui sine
omni sollicitudine in cubiculis suis dormiunt, & mundana nihil cu-
rant. 5. *Ob dormientis nuditatem*. Sicut ii, qui eunt dormitum, sese
exuunt, quo suavius & mollius quiescant: Ita etiam de vitâ discessuri
se nudant, quo tranquillius dormiant. Et tandem. 6. *Ob excitationis*
facilitatem. Sicut enim dormientes facile è somnò vel voce homi-
nes


vel aliarum rerum strepitu exitantur: Ita etiam innovissimo die
Christus voce sua multo facilius corpora putrefacta è sepulchris ex-
fufcitabit, quam nos aliquis electo, quando dicit, *Surgite vos
mortui.* Hanc ob causam etiam loca illa in quibus corpora humanatur
κοιμητήρια h.e. dormitoria appellantur, quod ibi quasi dormiant, &
svaviter in cubiculis suis quiescant. Verum, cum secundum Syraci-
dem cap. 10. in morte hominis heredes sint serpentes, & bestię &
Vermes, corpusq; nostrum ab hujusmodi animalibus, quando jam
terrę omnium matri concreditum est, consumatur, quemadmo-
dum tale Exemplum in Nobili quodam Adolescente habemus, qui,
cum in lethalem morbum incidisset, exorari non potuit, ut suam effi-
giem (sicut quoq; de Agesilao memorię proditum est) posteritati vel
pictam vel sculptam relinqueret; tantum hoc precibus amicorum
concessit, ut, postquam terrę mandatus esset, plusculos post dies
sepulchrum suum aperiret, & quã formã suum Cadaver invenirent,
ita depingi curarent. Hoc cum factum esset, invenerunt faciem ejus
semi consumptam à vermibus, & plures serpentes circa diaphrag-
ma & spinam dorsi extantes. Jusserunt igitur ejus effigiem, sicut in-
venerant, lapidi incidi, quod monumentum adhuc in Illustri Germa-
niã loco inter armatas majorum & gentilium statuas conspicitur, re-
ferente id Philipp Camerar. centur. i. Horar. subcis. cap. XI. meritò
aliquis dubitare posset, An Mors Somnus jure appelletur? In somno
enim, ut dictum, clauso cubiculo in lecto placide quiescimus, nec ver-
mes nos lædunt, nec corpus nostrum aliã quadam injuria affici potest.
Attamen rem paulo accuratius ponderantes, Videmus illam à Vermi-
bus consumptionem longè majorem nobis utilitatem asserre, quam
somnus naturalis in Vitã. Nam quid post somnum naturalem? Ex-
pergefacti iterum iisdem curis & anxieratibus sumus obnoxii quibus
antea, & ad omnem fortunę contumeliam projecti. Ex morte
vero resuscitati, sepositã omni mortalitate & fragilitate corpus animę
rursus junctum, semper fruetur conspectu & consuetudine DEI, qui
est omnia in omnibus. Quare, cum Mors corporalis in oculis Domini
somnus saltem sit quis non expereret. Cum nos ex Mortalitate ad
immortalitatem, ex terrestri habitatione ad Cœlestem, ex turbulentã
vitã ad pacificam, ex tenebris ad lucem traducat, quis non anxie de-
sideraret? Ereptus vobis est, Parentes Mœstissimi, filiolus vester

mellicissimus & quidem inperato. At quid faciendum? Moderan-
dus animus est ad hæc, quæ immoderate fertis. In uno enim eodemq;
itinere versamur; Idem pelagus navigamus omnes. Mortui qui
sunt iter confecerunt, portumq; tenuerunt, in quem quotquot
vivimus volentes nolentesq; per veniemus. Sapientissimus Seneca
lib. d. Consol. ad Marc. Matrem cui Parvulus hic ante partum onero-
sus, in partu dolorosus, post partum vero labriosus quidem sed opta-
tissimus extitit. Obitum istius immaturum graviter lugentem sic allo-
qui videtur. *Que demum ista tue publicæ conditionis oblivio est? Morta-
lis nata es, mortales peperisti. putre ipsa fluidumq; corpus & casibus morbisq;
repetita sperasti tam imbecilla materia, solida & æterna gestasse.
Decessit filiulus tuus h. e. decurrit ad finem, ad quem, quæ feliciora partu
tuo putas, properant. Huc omnis ista quæ in Foro litigat, in Theatris desi-
det, in Templis precatur, turba dispari gradu vadit. Nam, eodem Se-
nec. Epist. XCIX. teste, cui contigit nasci, mori restat. Inter-
vallis distingvimur, exitu æquamur. Hoc quod inter ultimum &
primum diem jacet, varium & incertum est: Si molestias æsti-
mas; etiam puerolongum: si velocitatem, etiam seni angustum.
Nil non lubricum & fallax & omni tempestate mobilis. Factantur cuncta,
& in contrarium transeunt, & in tanta rerum humanarum volutatione, nil
cuiquam, nisi mors, certum. Tamen de eo queruntur omnes, in quo uno ne-
mo decipitur. Sed forte dicetis, Infans sex saltem mensium decessit.
Potuisset, fateor, adhuc diu superstes esse. Comparete autem, si pla-
cet, hoc quod ætatem vocamus immenso, videbites, quam exiguum sit
quod optamus, quod extendimus. Et hoc quantum lacrimæ, quan-
tum sollicitudines occupant, quantum mors antequam veniat optata,
quantum valetudo, quantum timor, quantum tenent aut rudes aut inu-
tiles anni? Dimidium ex hoc edormitur. Insuper quis vobis conce-
det, non melius habere eum, cui cito reverti licet, cui ante lassitudi-
nem peractum est iter. Recte itaq; Ciprianus lib. 4. de mortalitate.
Lucrum, inquit, maximum computemus, si ex hoc mundo velocius receda-
mas. Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tre-
merent, domus jam fatigata, jam lassæ adificijs senectute labentibus ruinam
proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares? Si te navigante,
surbida & procellosa tempestas, fluctibus vi ventorum excitates, prænuncia-
ret futura naufragia, nonne portum velociter peteres? Mundus, ecce, nutat,
& labi-*

*& labitur, & ruinam sui, non jam senectute rerum, sed sine restatur, & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore subtrahis, ruinis & naufragijs & plagis imminentibus exuaris. Vt autem & Genus & Proavos Infantuli huius BARTHOLDI à Gehren / cui hodie funus facimus, videamus necessitas requirit. Natus itaq; est Anno M. DC. LV, die VII. Junij, post octavam vespertinam, eademq; vespèra statim domi sacrosanctâ baptismatis unda renatus, & Christi miles factus est. Patre Viro Consultissimo, Excellentissimo ac Clarissimo Dn. REINHOLDO à Gehren / J. V. L. & iudicij Provincialis Mecklenburgici Advocato industrio, amico nostro honorando, Matre vero fœminâ lectissima & virtutibus sexum fœmineum decorantibus OrnatiSSimâ MARIA CATHARINA Meyers. Avus paternus ipsi fuit, Vir Amplissimus, Consultissimus ac Eximius Dn. REINHOLDUS à Gehren / J. V. D. & quondam Episcopi Butzoviensis Consiliarius, ac iudicij Provincialis Mecklenburgici Assessor gravissimus, jam vero Syndicus huius Urbis primarius. Proavum Paternum habuit Virum Spectatissimum & Prudentissimum Dn. ERHARDUM à Gehren / Senatorem quondam Regiomontanum laudatissimum, qui Patrem agnovit Virum Amplissimum Dn. JOANNEM à Gehren / Consulem Regiomontanum optime meritum, Dn. NICOLAI à Gehren / Consulis itidem Regiomontani Magnifici filium. Avia Paterna fuit AGNETA CLINGEN, Matronalium virtutum splendore conspicua. Viri Amplissimi Dn. BARTHOLOMÆI CLINGII Jcti celeberrimi, Illustrissimorum ac Celsissimorum Ducum Mecklenburgicorum Consiliarij intimi, & Academiae huius per. L. fermè annos Professoris nunquam satis laudandi filia. Proavia paterna MARGARETHA CRONEN, Matrona honestissima Dn. JOACHIMI CRONEN, Senatoris & Camerarij huius Urbis spectatissimi filia. Abavia verò AGNETA Schmied & fœmina Castissima, à Clarissimo & Prudentissimo Viro Dn. M. LAURENTIO Schmied / Senatore huius Urbis bene merito prognata. Avum Maternum habuit Virum Amplissimum & Consultissimum Dn. GERHARDUM MEYERUM, JCrum, & Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Dn. Dn. Adolphi Friderici Academiae huius Cancellarij Magnificentissimi, Consiliarium gravissimum. Aviam Maternam ANNAM JUDELIAM, Amplissimi itidem Dn. ELLÆ JUDELI, Principis Mecklenburgici quondam Consiliarij, filium
Proaviam.*

Proaviam Maternam **MARIAM Kirchmans** filiam **GERHARDI KIRCHMANNI**, Civis & Mercatoris Lubecensis primarij. Abaviam Maternam **ANGELAM Zancken** Dn. **MARCI Zancken** Secretarij quondam Civitatis Wisuariensis fidelissimi filiam. Atavum deniq; Maternum **ELIAM JUDELLUM**, Senatorem Erfurtensem quondam laudatissimum. Talibus majoribus Clarissimis ortus Defunctulus noster **BARTHOLDUS**, quam primum lucem hanc aspexit, eius quoq; miserias & calamitates est expertus, circa X enim huius mensis diem *lenta quedam febricula* (Verba sunt Excellentissimi Medici Dn. D. Casparis Marchij Collegæ & amici nostri honorandi) *ex catarrhis in pectore, ut videbatur cumulatis suscitata illum invasit, cui initio & medio morbi tempore leviores quedam Convulsiones conjunctæ erant: tamen naturâ & arte superatæ fuerunt. Remansit tamen illa cumulata in pectore materia, quam ut ut natura & per inferiora rejicere tentaret, tamen infirmior sensim facta neq; hâc viâ quicquam evacuavit, neq; tussiculâ etiam quedam vel movere visa est materiam. Vnde ea magis aucta vitæ officinam. tandem extinxit* Nam XXIII. Novembris circa idem tempus quonatus, Nonam scilicet vespertinam, iterum denatus & è carissimorum Parentum oculis abreptus, in cælestem patriam evocatus est, cum vixisset XXIV. septimanas & vnum diem. Quamvis autem Parentes pignus hoc sibi ereptum non immerito plangent: Tamen, si in abdita mentis christianæ penetralia recesserint, intelligent, non dolendum sed latandum de filioli pio obitu, quem acceperunt tanquam amissuri, & amiserunt tanquam recepturi. Nos vero cum & defuncto infantulo honorem præstare ultimum, & Parentibus toti; laudatissimæ familiæ condolentiam testari teneamur, omnes quotquot Academiæ jurisdictioni subjecti sunt rogamus & hortamur, ut exequias funebres præsentia sua cohonestent, & de vitæ huius fugacitate cogitantes, se, suos & utramq; in hâc Civitate Republicam Literariam sc. & Civilem DEO precibus suis commendant. P. P. Rostochij sub sigillo Rectoratus: XXX. Novembris. Anno. M. DC. LV.


GK



GK



& labitur, & ruinam sui, non jam senectute rerum
 tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exiit
 ruinis & naufragijs & plagis imminetibus exuaris
 nus & Proavos Infantuli huius BARTHOLDI
 funus facimus, videamus necessitas requirit. D
 M. DC. LV, die VII. Junij, post octavam vespertis
 ra statim domi sacrosancta baptismatis unda rena
 factus est. Patre Viro Consultissimo, Excellent
 Dn. REINHOLDO à Gehren / J. V. L. & judicij
 lenburgici Advocato industrio, amico nostro hon
 femina lectissima & virtutibus sexum fœmineum
 tissimâ MARIA CATHARINA Meyers. Avu
 Vir Amplissimus, Consultissimus ac Eximius Dn
 Gehren / J. V. D. & quondam Episcopi Butzovier
 judicij Provincialis Mecklenburgici Assessor gra
 Syndicus huius Urbis primarius. Proavum Patre
 Spectatissimum & Prudentissimum Dn. ERHARD
 Senatorem quondam Regiomontanum laudatiss
 agnovit Virum Amplissimum Dn. JOANNEM à
 Regiomontanum optime meritum, Dn. NICOL
 sulis itidem Regiomontani Magnifici filium.
 AGNETA CLINGEN, Matronalium virtutum s
 Viri Amplissimi Dn. BARTHOLOMÆI CLINGI
 Illustrissimorum ac Celsissimorum Ducum Meckl
 filiarj intimi, & Academiae huius per. L. ferm
 nunquam satis laudandi filia. Proavia paterna M
 CRONEN, Matrona honestissima Dn. JOACHI
 natoris & Camerarij huius Urbis Spectatissimi
 AGNETA Schmied & fœmina Castissima, à Claris
 mo Viro Dn. M. LAURENTIO Schmied / Senate
 nè merito prognata. Avum Maternum habuit V
 & Consultissimum Dn. GERHARDUM MEYER
 Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Dn Dn. Ade
 demia huius Cancellarij Magnificentissimi, Consili
 Aviam Maternam ANNAM JUDELIAM, Amplif
 LIÆ JUDELI, Principis Mecklenburgici quonda



ur, &
 radus,
 & Ge
 hodie
 Anno
 vesp
 miles
 ssimo
 Meck
 e vero
 Orna
 fuit,
 US à
 s, ac
 vero
 irum
 hren/
 atrem
 sulem
 Con
 fuit
 vicua.
 rimi,
 Con
 sforis
 HA
 , Se
 vero
 tiffi
 s be
 num
 a, &
 Aca
 num.
 n. E
 lium
 riam.